

---

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

BULIMIA.

---



DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

BULIMIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MACKIE,

SCOTUS.

---

“ ————— furit ardor edendi :

“ Perque avidas fauces, immensaque viscera regnat.

“ Plusque cupit, quò plura suam demittit in alvum.”

OVID.

---

VII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

EDINBURGI :

EXCUDERANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

---

1804.



PATRI  
INDULGENTISSIMO  
JACOBO MACKIE,

BARGALÆ

IN PRÆFECTURA KIRCUDBERECHTENSIS,

ARMIGERO ;

CUI,

PRO PATERNO ANIMO,

“ DI—, SI QUA PIOS RESPECTANT NUMINA, SI QUID  
“ USQUAM JUSTITIÆ EST, ET MENS SIBI CONSCIA RECTI,  
“ PRÆMIA DIGNA FERANT ;”


HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

PIETATE MOTUS,

SACRAS

VULT

JOANNES MACKIE.



Digitized by the Internet Archive  
in 2020 with funding from  
Wellcome Library

JACOBO PATERSON, M. D.

AËRÆ

ARTEM SALUTIFERAM

PROSPERRIME FACIENTI ;

VIRO

TAM

JUSTO, ET PROPOSITI TENACI,

QUEM

“ NON CIVIUM ARDOR PRAVA JUBENTIUM,

“ NON VULTUS INSTANTIS TYRANNI

“ MENTE QUATIT SOLIDA,”

QUAM

UBERTATE INGENII, LITERIS HUMANIORIBUS,

BONISQUE ARTIBUS

NOBILITATO ;

HOC

PERENNIS AMICITIÆ SUMMÆQUE OBSERVANTIÆ

MONUMENTUM,

OFFERT

JOANNES MACKIE.





# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

## BULIMIA.

---

### PROOEMIUM.

§ I. **M**ULTIS morbis, iisque inter se dissimilibus, aliquandò etiam contrariis, opportuni mortales sunt. Sensus, rerum quæ extrà sunt interpretes ac nuncii, quibus cœlum, terram, et mare terræ circumfusum percipimus, modò acuti sunt, modò obtusi. Musculi, cùm voluntarii, tum voluntati inobsequentes, interdum languent, interdum se nimiooperè aut

A

inordinate

inordinatè contrahunt. Interim glandulæ parùm, interim nimis secernunt. Sanguis ad vitam necessarius, et quo nullus sanè humor magis mirificus, et rerum novarum fœcundior, jam purus est, jam insincerus ; nunc redundat, nunc deficit. Appetitus, qui nobis sunt cum bestiis communes, aliàs languent ; neque, uti solent, rogitant ac sollicitant, quibus saturentur : aliàs jejunâ aviditate perpetuò non desiderant solùm, sed etiam poscunt et flagitant, neque tamen saturitate explentur.

II. De his verò malis, cæterisque quibus patet natura mortalium, in hujusmodi opusculo dicere non possumus. Quoniam igitur hæc omnia persequi non valemus, nobis consilium est pauca scribere de mira edendi rabie, quam *BULIMIAM* medici nominant ; eoque magis, quòd, quantum scimus, pauci summos medicinæ honores petentes de ea disseruerint.

III. Ut, quæ dicturi sumus, sint intellectu faciliora, neque iis desit lucidus ordo ; pauca de definitione præfati et nomine, atque paucis  
de

de stomacho, famis causis, et alimenti concoctione dictis, exponemus, quibus signis cognoscatur hic morbus; dein investigabimus, quibus causis oriatur; post ostendemus, quibus notis dignoscatur ab aliis morbis, quibuscum ei aliqua sit similitudo; tùm præsagiemur, qualis exitus futurus sit; postremò, proponemus, quâ ratione consequamur, ut esuries sedetur et conquiescat.

P A R S

## P A R S I.

## DE DEFINITIONE ET NOMINE.

IV. QUUM, quâ de re tractaturi, scriptores pariter ac oratores, eam soleant breviter et circumscriptè definire ; nos, morem imitati, definitione, quam vim habeat *BULIMIA*, breviter exprimemus. Sed, quid valeat, nobis, CULLENI verbis, definitione declarare liceat, quoniam etiamnum definiendo sumus inexercitati, et scribendi arte rudes.

v. Hic medicus ingenio præclarus, et perspicace mente felix ante alios, qui, secernendo inanibus utilia, levibus gravia, vanis vera, lucidumque secretis dando ordinem, medicinam, antea squalore deformem et spinis obsitam, subtilissimè excoluit, morbum, quem persequi aggredimur, breviter exponit his  
verbis :

verbis: “ *Appetitus esculentorum majore copia, quam quæ digeri possit* \*.” Genus sic definitum complectitur *BULIMIAM HELLUONUM, SYNCOPALEM, et EMETICAM* †.

VI. Huic morbo nomina, alius aliud, uti mos, dederunt medici. Pleraque verò nominum mirâ pravitate medicorum, dum ROMAM prospiciunt et petunt, ATHENAS ambientium, ab integritate linguæ LATINÆ abhorrent.

VII. Quarè, ne nostram orationem qua GRÆCA obscuret peregrinitas, aut infuscet barbaries GERMANICA, morbum, quem persequimur, rabiem edendi, caninum appetitum, esuriem, esuritionem, esitationem, famem mordacem, voracitatem, ventrem voracem, appellabimus;

---

\* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. gen. CI.

† Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* tom. ii. gen. CI. sp. 1, 2, 3.

appellabimus ; ægros autem famelicos, esto-  
res, esuriones, helluones, manducones, lur-  
cones, saturiones, comedones, glutones, gu-  
losos, gurgites, voraces, vel edaces.

VIII. Cætera morbi nomina, præter ea quæ  
recensuimus, quippe cùm peregrina sint, ne-  
que necessaria, ab oratione nostra ablegabi-  
mus. Quæ nobis fastidium movent, placeant  
ea GERMANIS. “ *Trahit sua quemque volup-  
tas.*”

---

  
P A R S II.DE STOMACHO, FAMIS CAUSIS, ET ALIMENTI  
CONCOCTIONE.

IX. RES postulare videtur, hîc loci non solum stomachi situm, fabricam, et usus paucis exponere, itemque quibus causis oriatur famis; sed etiam explanare, quibus ministris et quâ ratione alimentum concoquatur.

---

  
C A P. I.*De Stomacho.*

X. CIBI et potûs receptaculum, quod modò stomachus, modò ventriculus, modò alvus nominatur, gulæ subjacet, in abdomine,  
ex

ex transverso, positum. Ex parte, *epigastrium* tenet; ex parte, duo hypochondria. Figurâ utrem tibiæ utricularis simulat, dextrâ tenuius paulò, amplius sinistrâ.

XI. A posteriore parte, quæ concava est, et *ARCUS MINOR* appellatur, connectitur, per interpositam membranam duplicem, *OMENTUM MINUS* dictam, posteriori abdominis parti. Ab anteriore, quæ gibba est, et *ARCUS MAJOR* nominatur, conjungitur membranæ itidem duplici, cui nomen est *OMENTUM MAJUS*. Hic arcus, quippe mobilis, dum ventriculus plenus est, prominet paululùm; dum inanis, paululùm propendet.

XII. Ventriculus, porrò, duabus extremitatibus terminatur; quarum una sinistrorsùm spectat, immobilior et superior paulò; altera dextrorsùm vergit, mobilis, et paulò inferior. Prope sinistram extremitatum, ventriculus patet in gulam ore, cui *CARDIÆ* nomen est; prope dextram, in summum intestinum inhiat ore,



ore, quod, ex usûs similitudine, *PYLORUM* anatomici nuncupant.

XIII. Ventriculo quatuor omninò tunicæ sunt, una *peritonæo* nata, dein carnosa, tum reticulata, postremò villosa. Hæ tunicæ vasis, nervis, et spongiosâ naturâ plûs minûs connectuntur.

XIV. Carnosæ tunicæ fibræ duplices sunt, quarum exteriores in longitudinem sese arcuant. Contractæ *pylorum* constringunt, constrictumque paululùm retrahunt, *cardiam* versus; sic impediens, quò minûs inclusæ stomacho naturæ in summum intestinum delabantur. Relaxatæ autem permittunt, ut *pylorus* descendat, et reclusus pateat in summum intestinum.

XV. Contrà, fibræ interiores, quæ stomachum ambiunt, contractæ hunc undique, arcum minorem versus, coangustant; et, modò simul relaxentur fibræ in longitudinem pertinentes,

nentes, et contrahantur muscoli, quibus spiritum trahimus et emittimus, inclusas stomacho naturas in summum intestinum demittunt. Eædem autem fibræ relaxatæ sinunt ventriculum se quoquoersùm in circuitum amplificare; aptumque sic reddunt, ex quo, musculis respirandi unà simulque se enixissimè contrahentibus, inclusæ naturæ revomantur.

xvi. Ventriculi fibræ, quæ in longitudinem pertinent, et eæ quæ in circuitum, rarissimè, si unquàm, in sano saltem homine, sese simul contrahunt aut relaxant. Quippe, his se relaxantibus, contrahunt se illæ: illis se contrahentibus, hæ se relaxant. Neque, enimvero, sese simul relaxant aut contrahunt, inter concoquendum aut vomendum.

xvii. Intima cibi et potûs receptaculi tunica multifora est; quippe per quam, in cavum osculis hient non bibula modò vasa, quæ hinc naturas quasdam exsorbeant; verùm patuli arteriarum quoque surculi, qui in id tenuiores  
quaspian

quaspiam sanguinis partes exhalent, et cola glandularum, quæ in idem glutinosum humorem, *MUCUM* dictum, effundant.

xviii. In stomachum arteriæ, ex *cœliaca*, et ramis quos hæc tendit in hepar et splenem, ductæ, sanguinem distribuunt. Venæ, extremis arteriis ortæ, sanguinem conducunt in eam venam, per quam sanguis à splene permanat in sinum venæ portarum. Alimentorum receptaculum pervagantur nervi, ex *plexu gastrico* profecti; quem ipsum conficiunt implicatæ et intertextæ fibrillæ, ortæ ex *pare vago* et *intercostalibus*. Vasa bibula, numero plurima, absorptas ex hoc receptaculo naturas confundunt in *ductum thoracicum*.

xix. Magnus et sanè mirabilis, per nervos, consensus ventriculo intercedit cum cæteris corporis partibus, itidemque his cum ventriculo. Quo fit, ut, hoc valido, et alimentum benè appetente et concoquente, cæteræ quoque partes benè valeant, et suis benè muneribus

bus fungantur ; et, his benè valentibus, benè quoque valeat ventriculus, alimentumque benè cupiat et conficiat.

xx. Quinetiam, mirum consortium est ventriculo cum animo, ob nexum quendam, at subtiliorem, quàm ut mens humana possit perspicere et comprehendere. Hinc, uti bonorum socii sunt, ita malorum participes. Stomacho sano, mens item sana est, perspicax, acuta ; animus lætus, hilaris, erectus : animo sano et valente, valet stomachus. Stomacho, contrà, infirmo, animus imbecillus est, languidus, hebes, tristis, demissus ; et, ubi desunt vera et præsentia mala quibus sollicitetur, fictis, aut futurorum metu, se coquit et vexat.

xxi. Usus ventriculi est alimentum concoquere. Hunc in finem, ei inest humor, sui similis, *SUCCUS GASTRICUS* dictus ; qui, uti inter medicos convenit, ejusmodi est, ut cibos et potiones ita mutet, ut possint postmodò converti

verti in naturam, quæ corpus alat et sustineat.

XXII. Undè verò suppeditetur hic humor mirificus, inter se discordant medici. Eum, uti nonnullis videtur, à sanguine separant arteriarum surculi, qui in ventriculum patent. Sed, vera si esset hæc sententia, oporteret calororum itidem halitus ad alimentum mutandum et concoquendum conduceret.

XXIII. Secernunt à sanguine, ut alii putant, glandulæ mucosæ, quibus stomachus instruitur. Verùm ne huic quidem opinioni assentiri possumus, propterea quòd mucus cæterarum viarum nequit escas et potiones concoquere.

XXIV. Nobis verisimillimum videtur, succum eum, qui in stomacho alimentum tam mirabiliter mutet, esse humorem, non uniusmodi, sed compositum ex tribus naturis inter se certâ at incognitâ proportione commixtis,  
salivâ

salviâ nempè oris, atque ventriculi halitu et mucò. Verum si hoc sit, alimentum concoquendi tam imbecillitas et impotentia, quàm pravitas, oriuntur ex causis, quæ idoneam et salutarem partium hujus succi constituentium rationem perturbant.—Quo modo ventriculi succus alimentum mutet et coquat, infrà explanabimus.

---

C A P. II.

*De Famis Causis.*

XXV. DE stomacho satis dictum est. Nunc operæ pretium erit quærere, quibus causis oriatur *FAMES*; seu importunus is appetitus, qui, in sensu ingrato, quem ad stomachum referimus, et cibi appetentiâ consistit, et quo sollicitante aut flagitante ducimur aut incitatur ad res edendas, quæ eum sedent aut saturent.

XXVI. Ad hanc edendi cupiditatem movendam conducit ventriculi inanitas. Sic enim  
facti

facti sumus, ut, quò omnes partes, ad vitam et motum necessariæ, vigeant ad sua munera validæ, frequens et modica ventriculi distentio requiratur. Ita esse, docemur experientiâ. Nam, quò vehementiùs nosmet exercemus, eò citiùs ventriculus, saltem sanus, alimentum coctum et confectum demittit in alvum; ut hinc, in lacteum priùs humorem conversum, per vias idoneas in sanguinem ad partes exercitatione dissipatas reparandas conducatur: et eò frequentiùs ad ventriculum cibis denuò et potionibus replendum incitatur; quippe enim ni faciamus, brevi languescimus, nec multò pòst nobismetipsis perindè videmur, ac si viribus deesset fulcrum, demùmque delassati conamina remittere, iisve prorsùs desistere cogimur.

xxvii. Neque verò solius stomachi vacuitate oritur ciborum appetentia. Ad hanc quoque cupiditatem excitandam, haud parùm contribuit effugium materiæ ex corpore per meatus naturales, eos præsertim cutis; quo  
vasa,

vasa, tam quæ sanguinem distribuunt, quàm quæ conducunt, ex parte exinanuntur. Quippe, certos intra fines, uti docet experientia, esuriunt eò crebriùs et magis homines, quò citiùs et uberius ex eorum corporibus materia effugit. Hinc patet, quamobrèm laboriosi, qui duriter vivunt, cibos sæpiùs appetant, et cupientiùs edant, quàm segnes et opulenti, qui lautis epulis pascuntur.

XXVIII. Quinetiam verisimile est, edendi cupiditatem ipsâ quietis, quâ carnosæ jejuni stomachi fibræ fruuntur, impatientiâ excitari. Hujus enim receptaculi inanitate concidentis fibræ, distendentibus et stimulantibus deductis, collabuntur, et quasi obdormiscunt. Irritabilitate verò interquiete auctâ, brevi, tanquàm somno experrectæ, inertiae impatientes sunt, atque requirunt, quæ eas denuò distendant et stimulent. Homo, tantum enim tamque mirum est corpori cum partibus, et partibus cum corpore consortium, hoc ventriculi desiderium persentit, et participat; dein cibos  
et



et potus appetit, utpote quibus solis possit ejus sollicitationi et importunitati satisfacere.

xxix. Ex his causis, uti nobis videtur, oritur appetitus is, quem cum philosophi, tum medicinæ professores *FAMEM* appellant; et cujus sollicitatione Natura, utilitatum provida et salutis consultrix, animalia, quoties opus, incitat ad esculenta assumenda, quibus vires, inediâ et labore languentes et dissipatæ, reficiantur et reparentur.

xxx. Alius appetitus fami affinis, *SITIS* nempè, sensus ingratus ariditatis in faucibus, cum bibendi cupiditate, oritur ex humoribus corporis supra modum potionum dissipatis; aut ex siccis ac salinis escis, aliisque quibusvis acribus ingestis; aut ex causis, quæ, sicut febres, obstant, quò minùs arteriarum surculi et glandularum cola, quæ in os et fauces patent, hùc idoneos ex sanguine humores deducant.

## CAP. III.

*De Concoctione.*

XXXI. Quo alimentum modo concoquatur, bis mille amplius annos inter medicos disputatum est, necdum, de hac re, inter eos convenit. Hic igitur loci, opiniones auctorum, quæ, de concoctione, maximè invaluerunt, proponere, et paucis excutere, haud alienum erit.

XXXII. Nonnulli, ducibus HIPPOCRATE\* et GALENO †, contendunt, cibos in ventriculo per calorem concoqui; et sic mutari, ut ab iis in  
intestina

---

\* Vid. CELS. *de Medicin.* Præfat. pag. 6.

† Vid. GALEN. *de Usu Partium*, lib. iv. cap. 8.  
*Facult. Nat.* lib. iii. cap. 8.

intestina delapsis secretus succus is, quo alimur, per quasdam hinc ductas et directas vias, permanet in venam sinistram *subclavianam*, deinceps in corde et pulmonibus se in sanguinem vertat.

XXXIII. His verò medicis, hac de re, accedere non possumus. Namque nonnulla animalia, velut ranæ, serpentes, et quidam pisces, alimentum benè concoquunt, quamvis eorum corpora calore parùm excedant aquam, terræve rimas ubi vivunt; dum homines, qui febriunt, et quorum calor plurimùm intenditur, vix, sæpè ne vix quidem, concoquere possunt. Quinetiam, contra hanc opinionem dici potest, quibus hominibus stomachus perindè videatur, ac si, præter solitum, caleret, eos plerumquè alimenta malè conficere.

XXXIV. Sunt alii, qui EMPEDOCLEM, PLISTONICUM \*, DIONYSIUM ÆGEUM, et DIOCLEM  
inter

---

\* Vid. CELS. *de Medicin.* præfat. pag. 6.

inter antiquos secuti, et inter recentiores LISTERUM\* et KNIGHTIUM †, censeant, alimentum in ventriculo putrescere.

xxxv. Ut ab his quoque auctoribus dissentiamus, inducimur. Namque saliva, ut compertus periculo est PRINGELIUS ‡, et *succus gastricus*, ut REAUMURIUS || et STEVENSIUS §, quibuscum humoribus alimentum in ventriculo commiscetur, ejusmodi sunt, ut putredini obstant. Ventriculus, porrò, ut comprobârunt HUNTERI experimenta, putrescentia nullo modo concoquere potest, nisi priùs in dulcia convertere valuerit. Vero, denique, absimillimum

---

\* Vid. LISTER. *de Humor.* cap. iii.

† Vid. KNIGHT. *Vindicat.* pag. 12. 26.

‡ Vid. PRINGEL. *Diseases of the Army*, Append. p. 51.

|| Vid. REAUMUR. in *Mémoires de l'Académie des Sciences*, ann. 1752, p. 732.

§ Vid. STEVENS. *Dissert. Physiolog. Inaug. De alimentorum Concoctione*, Experiment. xxiii. et xxv.

num est, putredine fieri posse mitem humorem, qualem *chylum* esse noverimus, qui, in sanguinem conversus, corpus reficiat, reparet, et sustineat.

xxxvi. Quinetiam alii, et hi quidem eruditi in primis, et ex ingeniis clari, PEYERUS, nempè, LEUENHOËCKIUS, BORELLIUS, PITCARNIUS\*, et HECQUETIUS †, concedunt ERASISTRATO ‡, qui apud antiquos florebat, cibos in ventriculo atteri validis hujus fibrarum muscularum contractionibus. Inducti fortassè sunt, ut ita existimarent, ex observatâ mirâ comminuendi res duras potentiâ, quam possident aves, quæ granis vivunt.

xxxvii. Verùm concurrunt complura, quæ eorum opinionem non solùm labefactent, sed etiam evertant. Canes enim, quorum ventriculi

---

\* Vid. PITCARN. in Diss. de *Modo quo cib. confic.* |

† Vid. HECQUET. de *la Digestion.*

‡ Vid. CELS. de *Medicin.* præfat. pag. 6.

culi nullâ pollent vi atterendi, possunt tamen ebur, et durissima ossa concoquere \*. Quinetiam, in ventriculis tam hominum, quàm viliorum quorundam animalium, fructus et grana, quæ, integris cuticulis, devorata sunt, adeò non concoquuntur, ut, pòst aliquantò, illæsa et inconfecta cum stercore dejiciantur. Cibos, porrò, multiformis globulis metallicis inclusos, ventriculi hominum, ut periculis compertus STEVENSUS †, brevi et benè concoquunt, globulis interea inviolatis et integris. Vermes, denique, sæpè tutò hospitantur in ventriculis non hominum modò, verùm viliorum quoque animantium.

XXXVIII.

---

\* Vid. STEVENS. Diss. Physiolog. Inaug. de *Aliment. Concoct.* Experiment. xi. xii. xiii. xiv.

MONRON. SECUND. Experimentum, à STEVENSIO citatum.

† Vid. STEVENS, Diss. Phys. Inaug. de *Aliment Concoct.* Experiment. I.—X.

XXXVIII. Aliis adhuc placet medicis, PRINGELIO \*, nempè, MACBRIDIO †, iisque qui his assentiuntur, alimentum in ventriculo fermentescere ; quippe cùm ex hoc vel sani hominum paulò pòst, quàm devoraverint, flatum seu spiritum, qualem excitant fermentescentes humores, per gulam et os identidem eructent.

XXXIX. Hanc autem opinionem sunt quæ, si non convellant, saltem multùm infirment. Saliva ‡, et ventriculi succus ||, ut comprobârunt experimenta, putredini obstant, inceptamve compescunt. Quinetiam animalia multa, ea nempè, quæ carnibus vivunt, velut buteones, fermentescentia non possunt concoquere.

\* Vid. PRINGEL. *Diseases of the Army*, Append.

† Vid. MACBRID. *Experimental Essays*.

‡ Vid. PRINGEL. *Diseases of the Army*, Append. p. 51.

|| Vid. STEVENS, *Diss. Phys. Inaug. de Aliment. Concoct.* Exper. xxiv.

coquere \*. Ventriculus, denique, tùm maxime flatum eruçtat, cùm imbecillitate quâdam vel resolutione ad benè concoquendum parùm valeat.

XL. Nostrâ ætate, omnes ferè medici, REAUMURIO †, MONRONE SECUNDO ‡, et HUNTERO ||, ducibus, consentiunt, alimentum, id sanè quod verisimillimum putamus, et ventriculi humorem, hujus simul motu et calore adjuvantibus, sese mutuò dissolvere ; et quædam intereà utrorumque elementa, cæteris repudiatis, mistu coalescere in novum humorem, sui similem, qui *chymum* appelletur, quique, paritèr atque *sales secundarii* ex commixtis *alcalibus* et *acidis* confecti, dotes ab iis constituentium partium prorsùs diversas possideat.

XLI.

---

\* Vid. REAUMUR. in *Mémoires de l'Acad.*

† Vid. REAUMUR. in *Mémoires de l'Acad.* an. 1752.

‡ Vid. MONRON. SECUND. Experiment. à STEVENSONO citat. in *Diss. Phys. Inaug. de Alimentorum Concoctione.*

|| Vid. HUNTER. in *Act. Philosoph. Londin.*



XLII. Novus hic humor, in summum intestinum delapsus, ibi cum bile et *succo pancreatico* commiscetur. Quædam interea commixtorum elementa, similiter atque modò diximus, in unitatem coeunt, novumque creant humorem, specie lacteum, parentibus prorsus dissimilem, quem *chylum* medici dicunt.

XLIII. *Chylum* ex intestinis tenuioribus, præcipuè jejuno, vasa bibula absorbent, deinde confundunt in *ductum thoracicum*: qui acceptum transmittit in sinistram venam *subclavianam*; ut, in corde dextro et pulmonibus, in sanguinem vertatur, qui corpus alat, reficiat, et sustineat.

## P A R S III.

## DE BULIMIÆ SIGNIS.

XLIII. QUÆDAM de stomacho, famis causis, et alimenti concoctione præfati, proximum est, ut paucis exponamus, quibus notis cognoscatur esuries, quam persequimur.

XLIV. *HELLUONUM.*—Esuritio nonnunquam vix morbus est. Helluones haud pauci, abdominis voluptatibus dediti, qui famem non opperiuntur, sed luxu antecapiunt, duplo triplove majorem quotidie copiam ciborum ingurgitant, quàm quæ ad corpus sustinendum necessaria sit, et tamen, quod sanè mirum, benè concoquunt\*.

XLV.

---

\* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. VIII. Gen. VIII.

XLV. Estores quoque haud rarò sunt homines ætate florentes, et robusti, qui aut animi causâ, aut officii ratione, duris se laboribus exercent, nempè ferarum venatores, jaculatores, aucupes, piscatores: et milites pugnis itineribusve exinaniti; ac nautæ duris maris, naufragio, vel inediâ. Estrices quoque interdum sunt gravidæ mulieres, quæ solitâ ciborum copiâ nequeunt suum simul corpus et fœtum alere et sustinere\*.

XLVI. Aliquandò etiam à febris revalescentes, sicut SAUVAGESIUS ipse, per mensem ferè insatiabiliter esuriunt. RONDELETIUS esurio evasit ex gulæ incitamentorum immoderatione; et militis meminit RIVERIUS, quem dato ad defectum stomachi curandum absinthio in gurgitem convertit †.

XLVII. Hujus

---

\* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method. Class. VIII. Gen. VIII.*

† Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method. Class. VIII. Gen. VIII.*

XLVII. Hujus generis comedones, quamvis ingente se ciborum vi ingurgitent, rarò tamen ingluviè gravantur; sed, quod mirum, onere tempore plerumquè haud longo concocto, denudò appetunt, quibus jejunam aviditatem satient.

XLVIII. *EMETICA.*—Contrà, nonnulli, quibus caninus appetitus est, ferè perpetudò esuriunt, et in ventres voraces ingentem identidem ciborum vim ingerunt. Ingens verò onus, quo esuriem paulispèr sedant, at nequeunt concoquere; paulò pòst nauseam movet, deinceps revomitur\*. Hujusmodi manduconum tanta est edendi rabies, ut, nisi quòd rejectam crapulam non instantèr devorent, canes imundos referant, et, quò saturent paulispèr renatam voracitatè, se cibis confestim ingurgitent.

XLIX. Hanc edacitatem, ex caninæ voracitatis

---

\* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. VIII. Gen. VIII.

tatis similitudine, nonnulli medicorum appellârunt *BULIMIAM CANINAM*, seu *CYNOREXIN*, seu *CYNOREXIAM*. *BULIMIAM EMETICAM*, neque sanè malè, nominavit CULLENUS\*.

L. Hujusmodi esitatio, siquandò quartanæ feбри, ascitæ, aliisque morbis longis superveniat, est, uti fert SAUVAGESIUS, lethalis †.

LI. *SYNCOPALIS*.—Aliud genus esurientium est, quod ab hoc multùm differt. Hujusmodi famelici continuâ ferè edendi cupiditate vexantur; et, nisi identidem devorent quibus hanc expleant, illicò proindè sibi videntur, ac si animâ defecturi essent. At, singulâ tamen vice, pauculis cibis contenti sunt, neque eos quidem possunt concoquere. Pauculis assumptis, cæ-  
teros

---

\* Vid. CULLEN. *Synops. Nosolog. Method.* Gen. CI. Spec. 3.

† Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. VIII, Gen VIII.

teros fastidiunt, atque brevi animo linquntur\*.

LII. Hujusmodi esuritio eos haud rarò ag-  
greditur, qui per nivosa loca iter faciunt. Mul-  
tos GRÆCORUM militum invasit, dum ASIA,  
XENOPHONTE duce, per ARMENIAS nives,  
GRÆCIAM redibant. ‘Εντευθεν δε (inquit hic  
‘ præclarus miles et historicus) την επιουσαν  
‘ ήμεραν όλην επορευοντο δια χιονος, και πολλοι  
‘ των ανθρωπων εβουλιμιασαν. Ξενοφων δε οπισ-  
‘ δοφυλακων, και καταλαμβανων τους πιπτον-  
‘ τας των ανθρωπων, ηγνοει ό, τι το παδος ειη.  
‘ Επειδη δε ειπε τις αυτω των εμπειρων, ότι σαφως  
‘ εβουλιμιασι, και εαν τι φαγωσιν, ανασησονσαι, παρ-  
‘ ιων επι τα υποζυγια, ει που ποτον η βρωτον  
‘ όρωη, εδιδου, και διεπερπε διδοντας τους δυνα-  
‘ μενους παρατρέχειν τοις βουλιμιασιν. Επειδη δε  
‘ τι εμφαγοιεν, ανισαντο και επορευοντο †.’

---

\* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. VIII.  
Gen. VIII.—MÉNJOT. *Dissert. De Bulimo.*

† ‘ *Indè, toto subsequente die, per nivem iter faciebant,*  
‘ *ac multi, præ fame ingenti, defecerunt homines. XENO-*  
‘ *PHON autem, cùm extremo in agmine curaret, et offendere-*  
‘ *ret*

LIII. *SECUNDARIA*.—Nonnunquàm infantes quadrimi voracitate ventris perpetuò ferè esuriunt. Neque rarò simul cacaturiunt, præter solitum. Voraces hujusmodi infantes, etiamsi cibos ferè perpetuò appetant et devorent, tamen, viribus fatiscentibus, pallent, flaccent, tabescunt, et ventricosi fiunt. Aliquandò etiam, at neutiquàm semper, vermiculantur, et cum foedissima alvi proluvie abominandas bestiolas ano facessunt.

LIV. Esitatio hæc infantilis, quam *ADEPHAGIAM* nonnulli medicorum nominant, nisi opportunè subveniat medicina, haud longo tempore

---

*ret homines humi qui jacerent, primùm, quid illud morbi esset, ignorabat. Posteaquàm verò quidam ex usu peritis ei dixisset, istos homines planè, præ ingenti fame, deficere, ac, si quid ederent, surrecturos; ad jumenta pergens, si quid potulenti esculentive cerneret, partim ipse dabat, partim, qui undique discurrere possent, et per famem deficientibus dare, dimittebat. Cùm quid autem comedissent, surgebant et ire pergebant.*—

Vid. XENOPHONT. De CYRI Expeditione à HUTCHINSON. Lib. IV.

pore aut ipsa, per se, ægros conficit, aut in alios conjicit morbos, qui conficiant\*.

PARIS

---

\* Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. VIII.  
Gen. VIII.



## P A R S IV.

## DE CAUSIS.

LV. DIXIMUS de notis, quibus cognoscatur esitatio, de qua scribimus : nunc res hortari videtur causas, cùm abditas et evidentes, tum continentem, investigare. Quæ itaque hæ sint, cognoscere et paucis declarare conabimur.

LVI. *ABDITÆ* causæ quæ sint, certò dicere in primis difficile est. De causis enim, quibus tanquàm radicescant morbî, parùm accuratè dicunt auctores. Neque, enimvero, insolitum est, de abditis eorum causis et evidentibus confusè et permistè disserere.

LVII. Quoniam autem non omnes homines, qui iisdem evidentibus causis pariter æqualiterque exponuntur, aggreditur hæc esuries, necesse est, nonnulli, præ cæteris, in eam proclives sint. Verisimillimum putamus, ei, cæteris paribus, opportunissimos esse eos, qui aut ipsâ corporis constitutione imbecilli sint, aut morbis, duris laboribus, aliisve causis infirmati; quippe quorum vasa causis, quas sumus dicturi, facillimè exinaniantur, atque vires labascant ac concidant. Hinc aliquid forsitan firmitatis accipit hæc opinio, quòd infantes, gravidæ, et à morbo revalentes, haud rarò, præter modum, cibos appetunt et ingerunt.

LVIII. *EVIDENTES* causæ sunt, aut quæ exinaniunt vasa, sicque vires dissipant; simul vel negato vel deficiente alimento, quod illa repleat, hasque reficiat: aut succus is, quo alitur corpus, intestinis sanguinive tantâ copiâ subductus, ut cibo, quamvis abundante, corpus non alatur.

LIX. Causis, quæ *PRIMO GENERI* subsunt, exponuntur nonnunquàm milites ; verùm apud nos tamen aliquantò rariùs, quàm apud antiquos. Nunc enim, uti bella geruntur non tam ingentibus copiis, quàm priscis temporibus ; ità exercitus rariùs cum hostibus, simul et comreatûs inopiâ, conflagunt et contendunt, rariùsque ferro, simul et fame, occidunt et pereunt.

LX. Iisdem aliquandò causis exhauriuntur et fatiscunt, qui, dum, animi causâ, imperante necessitate, se exercent, multumque temporis agunt in aucupando, piscando, leporesque venando et cervos, vel obviàm eunt periculis, ut apròs, ursos, leonem, aliasque immanes et feras belluas agitando feriendoque æqualibus anteant, ingentes labores perferunt, simulque fame urgentur. Neque, profectò, est vero absimile, rudium et agrestium hominum, qui, vitam quò propagent aucupio sagittarum, et feras nanciscendo quibus vescantur, in nive haud rarò pernoctent, multos, viribus labore

labore et fame exhaustis, esitatione primùm affici, dein deficere, demùmque, nullo succurrente, suis, eheu durum, invisos et indefletos perire!

LXI. Causæ, *SECUNDO GENERE* comprehensæ, eæ sunt, quæ succum eum, quo alitur corpus itemque reficitur et sustinetur, suffurantur et suppilant, aut aliorsùm subducunt. Hujusmodi sunt vermes voraces in alvo stomachove hospitantes, gravidarum foetus, et alvi profusiones\*.

LXII. Vermes, succum lacteum ex intestinis suppilando, caninam edacitatem excitare, medicis jam olim innotuit. “*Novi,*” inquit ALEXANDER TRALLIANUS, “*mulierem quandam, quæ, cùm multa et immodica assumeret,*  
“*omniaque*

---

\* Aliquandò in voracibus *choleochus* in ventriculo, et in *pylorum* patere, defunctorum incisores observârunt.—Vid. BOHN. *Circul. Anat. Physiol. Pro-gymnas.* x. pag. 153.—ETMULLER. *Oper.* tom. ii. pag. 54. *in homine.*

“ omniaque concoqueret, et nunquam saturari se  
 “ diceret, rosionem verò in stomacho experire-  
 “ tur, et capite doleret, pulverem purgatorium  
 “ accepit: erat autem is hiëra. Factâ igitur  
 “ evacuatione, vermem projecit, qui longitudine  
 “ duodecim cubitos et plures habere putaretur.  
 “ Atque tunc immoderata et furiosa appetentia  
 “ conquievit. Innotuit igitur, non bulimum, sed  
 “ bestiam fuisse, quæ ad cibum sumendum com-  
 “ pelleret omniaque consumeret \*.”

LXIII. GALLICUS rusticus memoratur, qui,  
 furente ardore edendi, cibus se ingurgitare so-  
 lebat, neque voratis tamen poterat jejunam fa-  
 mem satiare. Tandem autem, dejectis pluribus  
 vermibus, qui longitudine et crassitudine tubos  
 æquabant ad fumos incensi *tabaci* hauriendos  
 conformatos, ventris voracitas conquievit †.

LXIV.

---

\* Vid. ALEXAND. TRALLIAN. *Medic. Lib. Lib.*  
 VII. cap. IV.—FRIEND. *Histor. Medicin.* edit. in  
 formâ quadruplice, pag. 166.

† Vid. *Act. Philosoph. Gall.* Num. 264. pag.  
 598. itemque tom. III. p. 111.

LXIV. *CONTINENS* hujus morbi causa, dummodò, quæ suprâ diximus de famis causis, itemque de abditis esitationis causis et evidentibus, ea vera sint, est sensus ingratisissimus ad stomachum relatus; quo qui afficitur, is sibi videtur in eo esse, ut deficiat animâ et pereat, nisi derepentè cibos ingerat, quibus exhaustæ vires reficiantur.

## PARS V.

## DE DIAGNOSI.

LXV. *MULTA*, de hac rei nostræ parte, dicere non opus est. Namque, quantum scimus, duo tantum morbi sunt, quibus esitationem, de qua scribimus, dignoscere videtur necessarium; *DIABETES*, nempe, et *STOMACHI DEPRAVATIO*. Hujus autem depravationis duæ varietates sunt; quarum unam *PICAM* nominant medici, alteram *MALACIAM*.

LXVI. *DIABETE* tabentium, non autem esurionum de quibus scribimus, urina plerumque non solum super potionum ciborumque modum mingitur, et *ureæ* ferè expers est; sed etiam, præ saccharo quo abundat, gustatu  
dulcis

dulcis est, et fermentescit fermento indito, nullove immixto sponte acescit.

LXVII. *PICA* affecti, nostri gulosi non item, quâdam cupiditatis pravitate res à ciborum naturâ alienas appetunt et comedunt, velut calcem, gypsum, cretam, lapides molares, carbonem, cineres, et vitrum. Imò etiam, horresco referens ! occasionem nacti, caninâ plus immunditiâ et aviditate ipsum stercus clanculùm devorant \*.

LXVIII. *MALACIA* languentes, non item estores de quibus dicimus, dum quosdam cibos condimentave, velut haleces, piper, zinziber, et salem esuriunt, et nimiâ copiâ assumunt †, cibos alios æquè omnes et condimenta fastidiunt, et aversantur.

P A R S

---

\* Vid. BURSER. *Institut. Medicin. Practic.* vol. IV. part. alter. cap. II. § XXV.

† Vid. BURSER, *Institut. Medicin. Practic.* ibid.





tat, ut cibus, præsertim dapibus appositis, sese ingurgitent, sanè cacoëthes potiùs habenda est, quod reprehensione vituperationeque com-  
pescant sapientiæ professores, quàm morbus, quem curent rationales medici. Rarò lethalis est, quia cibi, quos eâ urgente helluones ingerunt, quippe cùm majores sint, quàm quos ventriculus possit facilè ferre et benè conco-  
quere, brevi hinc subcrudi delabuntur, alvi-  
que fœdissimum at salutarem fluxum exci-  
tant. Verùm interdum tamen vel ii, qui in-  
dulgentiâ et ventris obedientiâ esuriones eva-  
serunt, ingente ciborum onere, quo ventriculos gravant, tantam sibi inducunt crapulam, quan-  
tam obdormiscere nequeunt, et ferreo somno consopiuntur.

LXXII. Caninus autem appetitus, ad quem saturandum estores tantos cibos devorant, ut stomachus, ad concoquendos invalidus, brevi revomat, plus periculi affert. Hujusmodi enim gurgites, licèt haud cedant famelicis canibus ferisve voracitate, non satìs tamen nutriuntur ;  
et

et nisi, id sanè quod difficile in primis, opportunè compescatur et conquiescat edendi rabies, lentâ tabe pereunt.

LXXIII. Neque enimvero tuta est ea esitatio, quæ, quamvis unaquâque vice pauculis cibis contenta, identidem tamen, nisi quoties flagitat expleta, animæ defectum intentat et efficit. Quippe accidere possit, ut deficient esuriones, ubi adsint nulli qui iis opem ferant et ministrent, atque dura quies somno lumina claudat.

LXXIV. Canina voracitas, quæ hydropi abdominis, quartanis, aliisve morbis vetustis, supervenit, plerumquè funesta est. Periculum quoque, neque id sanè parvum, affert ea esuritio, quâ furente infantes tuburcinantur jejunâ aviditate multò plus ciborum, quàm possunt concoquere, neque tamen satiantur.

LXXV. Malum etiam est saturionum alvum, sicut eam harpyiarum, fœdissimâ proluvie  
vexari,

vexari, simulque corpora extenuari et tabescere. Pessimum est, ubi esuriones sæpè animâ deficiunt; quia plerumquè accidit, ut seriùs ociùs inobservati pereant.

PARS

---

---

PARS VII.

DE CURATIONE.

LXXVI. CÆTERIS rei propositæ partibus absolutis, tantùm restat, ut exponamus, quibus esuries, de qua scribimus, sedetur et conquiescat. Quò curationem exsequatur, medicus debet animadvertere et explorare, quæ esitationis causæ sint ; eòque magis, quòd, his incognitis, in idoneam curandi viam procedere nesciet.

LXXVII. Helluonum voracitas optimè sanatur monitis sapientum, ac amicorum reprehensionibus et vituperationibus ; exponentium, quàm indecorum sit hominibus, canum et porcorum

corum more, cibus, ultrà quàm satis sit, se ingurgitare.

LXXVIII. His vanis, lurcones debent voraginem ventris implere iis alimentis, quæ naturâ concoctu difficillima sunt, nempè carnibus pinguibus, butyro, caseo, et consimilibus. Sedantia, si opus, assumantur, nempè acida, aquæ acidulæ, *tamarindi*. Si ventriculo inest acor, absorbentia assumenda sunt, velut *magnesia* et creta. Nonnunquàm etiam opium, et vinum meracum profuerunt. Fortassè etiam ut, innuit GESNERUS, proficiat vinum, in quo pauxilla semina *belladonæ* macerata sunt.

LXXIX. Esitationi, quæ animæ defectum minitatur, et enimvero sæpè inducit, subveniendum est, non solùm *cardiacis*, uti vino diluto, aut vino offæ mixto : sed etiam alimentis concoctu facillimis, nempè jusculis ex pullo gallinaceo, carne pulli, jusculo vitulino cum mica panis ; atque, ut HECQUETO videbatur,

tur, testudinum juscuro, dein verò lactentibus, denique *tincturâ opii*.

LXXX. Voracitati, quam faciunt vermes, succurrendum est medicamentis, quæ vermes, necatos aut vivos, expellunt. Necant autem absynthium, *tanacetum*, *spigelia Marilandica*, *semen Santonicum*, *dolichos pruriens*, *geoffræa inermis*, radix filicis maris, amara omnigena; necnon etiam fossilia quædam, nempè ferrum, hydrargyrus, stannum. Vivos expellunt omnia acria cathartica, quæ verò nominatim recensere non nobis consilium est.



